



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 1. Preces aliaquè pietatis exercitia quibus conversio impetratur, non habentur nisi ex gratia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

§. I.

Preces aliaquē pietatis exercitia quibus conversio impetratur, non habentur nisi ex gratiâ.

ITaque verum est has preces aliosquē labores ad impetrandam veræ conversionis gratiam, nemo, ut oportet, nisi divinæ gratiæ adjutorio præventus adhibet, sed nec adhibere potest: sic enim in primorum parentum prævaricatione naturalem ad benè operandum possibilitatem perdidimus, ut nec hoc voluntati relictum sit, ut ex semet ipsa sui ad Deum conversionem, quemadmodum oportet valeat vel desiderare. Hic est enim Semipelagianorum error, qui licet istâ transgressione vitiatam omnium nostrum voluntatem non abnuerent, tamen *nul-* Epist. ad
August.
lam, ait Hilarius, *ita depravatam & extin-*
ctam putant, ut non debeat vel possit se velle sa-
nari. Quam eandem Doctrinam & in Cont. Collat.
cap. 8.
Collatore reprobat S. Prosper. Adversus
hos dixit 2. Arausicana Synodus: *Si quis*
ut à peccato purgemur voluntatem nostram Deum Can. 4
expectare contendit, non autem ut etiam purgari
velimus per S. Spiritûs infusionem & operatio-
nem in nobis fieri consitetur, resistit ipsi Spiritui
Sancto per Salomonem dicenti: PRÆPARA-

36 C O N V E R S I O
TUR VOLUNTAS A DOMINO : & Aposto-
lo salubriter predicanti : DEUS EST QUI
OPERATUR IN NOBIS ET VELLE ET
PERFICERE PRO BONA VOLUNTATE.

Uti autem à Deo ejusquè prævenienti
gratia ipsum est desiderium, quo quis
vult converti, ita quoque ab illo est,
quod ex ipso desiderio, ut conversionis
gratiam impetret, quis laboret aut prece-
tur. Ac per hoc verè dicit Appendix has
preces eosquè labores, non fieri sine gra-
tia saltem inchoatæ conversionis: ipsum
enim conversionis desiderium inchoata

L. de conc. grat. & lib. arb. conversio est; *Qui verò dicunt, ait S. An-*
selmus, converte nos Deus, jam aliquatenus
conversi sunt, quia rectam voluntatem habent,
cum volunt converti; sed orant pro hoc quod jam
acceperunt, ut augeatur conversio. Sicut illi qui
credentes, auge nobis fidem dixerunt. Ac si dice-
rent illi & isti: auge in nobis quod dedisti, per-
fice quod cœpisti. Et quia isto desiderio ini-
quitate suam peccator improbat & ac-
cusat ejusmodi sui accusatores ex parte

L. 24. mor. cap. 8. justos pronunciat Gregorius: Nemo, in-
quit, fortitudinem suam nisi cum rectus esse
cœperit, apprehendit, nam qui omnino perversus
est, neque hoc potest videre quod est; qui ve-
rò peccatorem se intelligit, jam ex parte aliqua
justus esse inchoavit, atque id quod non justus
fecerat,

fecerat, ex eo quod justus est, accusat, quâ accusatione suâ Deo inhaerere inchoat, dum rectum contra se judicium proferens hoc in se, quod illi sensit displicere, condemnat.

§. II.

Non omnis inchoata conversio sive conversionis initium cum Sacramento ad justificationem sufficit.

Sed multum fallitur Appendix dum somnem inchoatam conversionem, ac per hoc quaecunque conversionis desiderium æstimat conversionem ad justificationem saltem adhibito Sacramento sufficientem. Conversio enim à fide incipit, qui est primus motus mentis in Deum, & tamen non omnes, qui jam, etiam, ut notat S. Thomas, ex Dei inspiratione credit, à reliquis quoque suis peccatis recedit. Sic inchoatè conversi erant principes illi, qui Salvatori nostro Christo dicti sunt credidisse, sed nondum quantum ad justitiam opus erat, quia adhuc, teste Evangelio, gloriæ hominum quàm Dei amantiore, ut non è Synagoga eji- cerentur, ipsum verebantur confiteri. Verùm, ut hos omittam, illos intueamur, qui jam sese à peccatis suis avertere

2. 2. q. 6.

4. 2. ad 3.

Ioan. c. 12.

vers. 42.